

ad finem mundi, que progenies ⁵¹⁾ imperabit, quia secum est principium in die virtutis sue ⁵²⁾, id est Christus in omnibus suis vicariis ⁵³⁾.

(12) De istis quidem dictum est per prophetam: *Orietur in diebus domini iusticia et habundancia pacis, donec extollatur* ⁵⁴⁾ *luna, et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terre* ⁵⁵⁾, *coram illo procident Ethyopes et inimici eius terram lingent* ⁵⁶⁾.

Dies domini specialiter dicuntur omnes dies a nativitate domini usque ad Epiphanyam, qui ^{a)} hiis diebus, id est infra hos dies, hoc est in festo beati Stephani consecutivo ^{b)} nativitatis orta est iusticia ⁵⁷⁾, scilicet domini imperatoris Friderici, qui est iusticia tanta in hoc seculo, qui reddit unicuique quod suum est: Deo tria, timorem, honorem et amorem, regibus concordiam, subditis gratiam et misericordiam. A domino itaque factum est istud et est mirabile in oculis nostris, scilicet ut in die sancti Stephani nasceretur imperator. Stephanus enim intelligitur coronatus, et in die suo processit ad ortum dominus dyademate multiplici coronandus, ut interpretacio nominis alluderet dignitati et terrena celestibus concordarent.

Et habundancia pacis ⁵⁸⁾, et licet quidam perfidi et rebelles velint istam pacem malivole perturbare, non possunt, quia cadent a latere filiorum suorum mille et decem milia a dextris suis, ut ad nos non valeant appropinquare ⁵⁹⁾; omnem palmitem in hac vinea vera non ferentem fructum, tollet eum, ut fructum plus afferat salutarem ⁶⁰⁾. *Donec extollatur luna*, id est eius dignitas gloriosa, que recipit lumen a vero sole, id est a Christo. *Et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terre*, quia ubique terrarum eius potencia formidatur. *Coram illo procident Ethyopes*, id est pagani, qui omnes adorant scabellum pedum eius ⁶¹⁾. *Et inimici eius terram lingent*, id est humiliantur et destruuntur et pereunt coram ipso. Nam et illi, qui rapinam arbitrati sunt esse se equales ⁶²⁾ sibi, ceciderunt deorsum et amplius locus eorum minime invenitur ⁶³⁾; pusillum adhuc et omnes alii

a) So Hs.; wohl zu lesen quia. b) consecutivum Hs.

⁵¹⁾ ‚dieses Geschlecht‘, also die Staufer. ⁵²⁾ Ps. 109, 3. ⁵³⁾ ‚vicarii Christi‘ = Kaiser, s. Kantorowicz, a. a. O. S. 73 und 206. ⁵⁴⁾ extollatur vers. ant.; auferatur Vulg. ⁵⁵⁾ terre vers. ant.; terrarum Vulg. ⁵⁶⁾ Ps. 71, 7—9. ⁵⁷⁾ iusticia und pax (s. unten im gleichen Abschnitt) erscheinen unter Friedrich in ihrer Fülle; über beide Begriffe s. die Zusammenstellung bei Kantorowicz, a. a. O. S. 79—82. ⁵⁸⁾ S. Anm. 57. ⁵⁹⁾ Ps. 90, 7. ⁶⁰⁾ Joh. 15, 2. ⁶¹⁾ Ps. 98, 5. ⁶²⁾ Philipp. 2, 6. ⁶³⁾ Ps. 36, 36.